

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Venerádo uiro,eruditione et uirtute prestanti N.N. pastori ecclesiae in
Tangermunda,fratri suo charissimo

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

tas & simplices, quæ intelligi possent, de toto corpore doctrinæ. Stancarus quid sentiat in uniuersa doctrina, nondum scimus. Bene & feliciter ualete, & curate mihi rescribi tantum hoc, ut sciam an sint exhibitæ meæ pagine. Iterum ualete. Die primo Augusti.

Eidem.

Venerande & charissime domine Georgi. Mitto illustrissimo principi Electori, Marchioni Iodachimo, quasdam nostras deliberationes, quas oro ut ei mox exhibeatis: & mihi significetis, an sint exhibitæ. Potestis eas & uos legere, & spero uobis & omnibus pijs, qui legent, placituras esse. Bene ualete, et rescribite. Die Dominico, 13 Decembris, Anno 45.

Venerando uiro, eruditione et uirtute prestanti N. N. pastori Ecclesiæ in Tangermunda, fratri suo charissimo,

S. D. Venerande domine, & charissime frater, intelligo senatum Brandeburgensem de te uocando ad gubernationem suæ Ecclesiæ deliberare: ac à me petiuit, ut tibi hortator sim, ut ad ipsos commigres. Nihil mihi potentie sumo, sed opto ut uicina Ecclesia feliciter regatur. Et spero te in urbe Brandeburgæ utilius Ecclesiæ seruiturum esse. Nobis quoque propiorem te esse opto. scriberem plura, nisi nuncius

Solanus of. p.
377.

cuis festinare: & meas occupationes nosti. Bene
& feliciter uale. 22 Ianuarij.

Magnifico D. Rectori, magistris ac docto-
ribus Academiae Francofordianae ad O-
deram, &c. Philippus Melanch-
thon S. D.

III, 60.

Apud Xenophontem Cyrus cum proponit edi-
tum, ut agricolis parcatur, addit causam: Quia in
ipso etiam belli incendio perficiendum sit, ut quam
minimum sit belli. Id suo quoenq; loco imitari decet.
Etiam si concutuntur imperia, cuius rei multae sunt
causae: tamen interim quaedam foedera religionis et
naturae seruari oportere sciamus. Diligamus Ecce-
siam, ubicunque est: diligamus cognatos ubicunque
sunt, & eis leniamus aerumnas. Ita in ipso bello mi-
nus erit belli. Id cum ab illustrissimo Electore
Marchione factum sit in hoc bello, qui et lenire mala
publica studuit, et tanquam Nestor inter duces paci-
ficator fuit, et priuatim multis opem tulit, uirtus ei-
us praecipua laude digna est. Ego quoque & publi-
co & meo nomine ei gratias ago. Deinde quod &
Academia uestra exemplum sui Principis imitatur,
ac mihi in hoc exilio desert hospitium: uobis etiam
pro ista erga me beneuolentia gratias ago. ac leua-
tionem mearum miseriarum magnam fore ducere,
si contingeret in illa frequentia doctissimorum ui-
rorum,